

Meledominis episcopum aut presentia nostra adesse debeat, aut consensus. Quam rem valde admiratos nos gloria vestra cognoscat, quod primum sine jus-u gloriosissimi domini principis nostri, filii vestri Theudoberii regis, cujus sumus regni ordinatione subjecti, injungitis, ut ea quæ antea tempo- re facta non sunt, nunc presentia nostra aut consensus debeant inchoari. Præcipue nunquam nec suspicari, nec credere potuimus, quod hanc aut ordi- ni nostro, aut etiam temporibus vestris velletis injuriam generari, ut diocæsim nostram a Deo nobis commissam, et usque nunc pontificali ordine Deo propitio custoditam, tanquam negligentes ac desides ad alterius permittamus potestatem transire, aut sollicitudinem irrationabili deliberatione transferri. Unde salutantes digno ac debito in Deo charitatis affectu, rogamus et contestamur, ne ullus pontificum contra statuta Patrum audeat facere, unde possit, synodali examinatione convictus, de illicita præsumptione culpari. Illa **1329** tamen vestris debent fieri, Deo inspirante, temporibus, unde et pax inter sacerdotes esse possit, et plebs non permittatur a pastoris proprii custodia per novam et illicitam ordinationem divelli. Custodite, quæso, statuta Patrum, et canonum severitate constricti, non patiamini, sicut scribitis, ad petitionem ejus plebis, super- stite proprio sacerdote, alterum episcopum ordinarî. Quia si hoc petunt, quod nefas est credi, desertores potius judicandi sunt quam fideles. Et non eorum preces facile audiri debent a principe, quorum petitionibus potius generentur scandala, quam pax Deo amata servetur. Quia sicut beati sunt pedes pacem portantes, ita vobis his dictum est, per quos venit scandalum. Qui si fortasse ob hoc alterum episcopum sibi fieri rogant, quia nos, interclusis itineribus, ad eos nec visitatorem mittere possumus, nec venire, ista culpa nos non respicit; quia si iter a vestra parte, sicut optime nosus, interclusum tanto tempore non fuisset, quamvis senes aut infirmi, populum nobis ecclesiastica disciplina commissum requirere potueramus, aut certe visitatorem, sicut canones statuunt, destinare. Nam Gloria vestra optime debet et credere et scire quia si contra statuta canonum quicumque episcoporum sine consensu nostro Meledone episcopum voluerit ordinare, usque ad papæ notitiam vel synodalem audientiam, tam hi qui ordinarerint, quam qui ordinatus fuerit, a nostra erunt communione disjuncti. Leo Christi servus suscipi.

INCIPIT EPISTOLA CLEMENTISSIMI ET BEATI REGIS NOSTRI CHILDEBERTI, DATA PER ECCLESIAS SACERDOTUM, VEL OMNI POPULO.

(Ex ed. Et Ms. Corb.)

Credimus hoc Deo propitio ut ad nostram mercedem, et ad salutem populi pertinere, si populus Christianus, relictam idolorum culturam, Dei, cui integram promissimus fidem, in quantum inspirare dignatus fuerit pure deservire debeamus. Et quia necesse est ut plebs, quæ sacerdotis præceptum non ita ut oportet custodit, nostro etiam corrigatur imperio, hanc chartam generaliter per omnia loca decrevimus emittendam, præcipientes, ut quicumque admonti de agro suo, ubi quicquid fuerint simulacra constructa, vel idola demoni dedicata ab hominibus facta, non statim abjecerint, vel sacerdotibus hoc destruentibus prohibuerint, datus sibi iussoribus non aliter discedant nisi in nostris obtutibus præsententur. Qualiter in sacrilegos Dei injuria vindicetur nostrum est pertractandum, et quia hæc nostra ut verbo de altario sacerdote faciente quæcumque de Evangelio, prophetis vel Apostolo fuerit annuntiatum, in quantum Deus dat intellectum, ad nos querimonia processit multa sacrilegia in populo fieri, unde Deus ledatur,

* Vide sancti Gregorii Historiam Francorum, lib. iv, cap. 20. Ed.

et populus per peccatum declinet ad mortem, noctas pervigiles cum ebrietate, scurrilitate vel cantibus, etiam in ipsis sacris diebus, Pascha, Natale Domini, et reliquis festivitibus, vel adveniente die Dominico bansatrices per villas ambulare. Hæc omnia unde Deus agnoscutur lædi nullatenus fieri permittimus. Quicumque post commotionem sacerdotum, vel nostro præcepto sacrilegia ista perpetrare præsumperit, si servilis persona est, centum ictus flagellorum ut suscipiat jubemus. Si vero ingenuus aut honoratior fortasse persona est districta inclusione digna, sunt hi autem in penitentiam redigendi, ut qui salubria et a mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem corporis eos ad desiderandam mentis valeat reducere san- tatem.

Constitutiones a subsequentibus regibus factas habes tomo I Capitularium regum viri clarissimi Stephani Baluzii.

FORMULÆ ANTIQUÆ.

(Ex tom. iv Anal. Mabilon.)

B Formula solennis de dote. — Ille est testamentum, quarto regnum domni nostri Childberto reges, quod fecit missus ille Chestantus. Cum juxta consuetudinem Andecavis civitate, curia publica resederit in foro, ibique vir magnificus ill. prosecutor dixit: Rogo te vir laudabilis ill. defensor, ill. curator, ill. magister militum, vel reliquum curia publica utique obticis [codices] publicis patere jubeat s. quis habeat quid apud acta prosequere debiam. Defensor pri- cipalis simul et omnis curia publica dixerunt: Parent tibi coteccis publici, prosequere quæ optas. Obedire illa per mandato suo pagina mihi injunxit, ut prosecutor existere deberit, qual ter mandatum, quam in dulcissimo jocali meo ill. fici pro omni causationis suas, tam in paco, quam et in palacio, seu in qualibet loca accidere faciat illa porciones meas, quem ex alote parentum meorum ei legibus obvenit, vel obvenire debet, aut justissime ei est reddebitum. Econtra parentis suis vel contra cujuslibet hominem accidere vel admallare seu et liticare facias inspecto illo manda- to, quem in dulcissimo jocali meo ill. fici, gestis municipalibus adlegare debiam. Curia vero dixerunt: Mandato quem tibi habere dicis, accipiat vir venerabilis ill. diaconus et amanuensis. Ill. prosecutor dixit: Rogo domno meis omnibus publicis, ut sicut mandatum istum legebus cognovistis esse factum, ut dotem, quem præ manibus tenio, vobis præsentibus in foro publico jubeatis recitari. Curia vero dixerunt: Dotem quem te dicis præ manibus retinere, ill. diaconus et amanuensis Andecavis civitate nobis presentibus accipiat relegendum, quo accepto dixit.

C Mandatus. — Domno mihi jocali meo ill. rogo adque supplico dulcissima gratia vestra, ut ad vicem meam omnis causationis nostris, tam in pago quam et in palacio, seu in qualibet loca accidere facias, et illas porciones nostras, quem ex alote parentum meorum mihi legibus obvenisse vel obvenire debet, aut, justissime nobis est reddebitum, hæc contra parentis meus, vel contra cujuslibet hominum, accidere vel admallare, seu adliticare facias, et quidquid exinde ad vicem nostram egeris, feceris, gesserisve, etenim me habiturum esse cognosca- rum. Juratum mandatum Andecavis civitate, curia publica.

D Cessio. — Dulcissima et cum integro amore diligenda sponsa mea, filia ill. nomen ill. ego ill. Et quia propitio Domino juxta consuetudinem una cum voluntate parentum tuorum sponsavi, proinde cito tibi de rem paupertatis meæ, tam pro sponsalitia, quam pro largitate tuæ, hoc est casa cum curie circum- cincta, mobile et immobile, silvas, pratas, pascuas, aquas, a jurarumve decursibus, junctis et subjunctis, et in omnia superius nominata, tu dulcissima sponsa mea ad die filicissimo nupciarum tibi per hæc ces-

sione dilecto adque transfund), ut in tunc jure hoc recipere debeas. Cido tibi bracele valente solidus tantus, toneneas tantas, lectario ad lecto vestito valente solidus tantus, in aures aureas valente solidus tantus, annulus valentes solidus tantus. Cido tibi caballus cum sambuca et omnia stratura sua, boves tantus, vaccas cum sequentes tantus, ovis tantus, solidus tantus. Hæc omnia subscripta rem in tua jure et domonacione hoc recipere debias, vel posteris tuis, si inter nos procreati fuerunt derelinquent's, salvo jure sancti ill. cuius terræ esse videtur. Et si fuerit ullo umquam tempore, qui contra hanc cessione ista, quem ego in te bona voluntate conscribere rogavi, aut ego ipsi, aut illus de hereditibus meis vel propinquis meis, aut qualibet homo vel extranea, aut emissa persona venire voluerit, aut agere vel repetire præsumperit, ante lite ingressus duplet tibi tantum, et alio tantum, quantum cessione ista contenet, aut eo tempore meliorata voluerit, et repetitione sua non obtineat effectum: et hæc cessione ista atque voluntas nostra omni tempore firma permaneat: Post hæc curia ait: Se adhuc aliquid abis ex hac causa, aut agere debias, dic tu in præsentem. Ill. prosecutor dixit: Gratias agemus magnitudine vestræ, quod dotem sua scripta, quem prosequo, gestis municipalibus ut habuit caretas vestra allegasse..... fecisse vobis ex more conscripse.

Alia cessione. — 2. Quod bonum faustum sit, lex felicitatis ad satis adsentit, et lex Romana edocit, et consuetudo pagi consentit, et Principalis potestas non prohibet, ut tam pro se intercedentem, quam ad die filicissimo nuptiarum obtabile evenientem. Id circo ego in Dei nomine, ill. nomen, ante proscribo ad sponsam meam, nomen illa, filia illius, transcribo ad ipsa per hanc epistola atque cessione, hoc est casa cum curte etc.

Item cessione. — 3. Dulcissima etc. Ego ill. filius ill. dum non habetur incognitum qualiter te secundum Rege Romana sponsatam visum sum habere etc. habes concessum dum advixeris perpetualiter ad usum fructuario ad possedendum etc.

Judicium. — 4. Veniens homo nomen ill. ante venerabile 1332 vir ill. abbate, vel reliquis viris venerabilibus adque magnificis, quorum nomina subtils tenentur inserti, interpellabat aliquo homine nomine ill. quasi servicium ei redeberit; et illi taliter de præsentem aderat, et hoc fortiter denegabat quod servicium nunquam redeberit. Interrogatum fuit ipsius ill. de sua agnatione alius homines in suum servicium habebat an non: et ipsi ill. taliter locutus fuit ut hoc non redebebat, nam ipsi ill. servicium ei non redebebat, at de agnatione aut de comparato ut hoc inter se intenderent ut dum ipsi ill. alius homines de sua agnatione non redebebat. Sic visum fuit ipsius abbati vel quibus in eus aderant, ut ipsi homo apud homines XII. manu sua XII. in basilica domne illius in uocis tantis conjurare deberet, quod de annus XXX. seu amplius, servicium ei nunquam redebebat. se hoc facere potebat, ipsi ill. de hac causa contra ipso ill. compascere deberit: sin autem non potuerit hoc immendare studiat.

Sacramentum. — Notitia sacramenti, qualiter vel quibus præsenibus ingressus est ill. apud homines tantus ingenuus super altare ill. Andecavis civetate, pro eo quod homine nomen ill. ipso pro servicium interpel abat ad vicem genitore suo, seu et genetrice sua. Juratus dixit, juxta quod judicium ex hoc loquitur, per hanc loco sancto et divina omnia quod hic aguntur de annis XXX. seu amplius sub ingenuetate nomen resedi. nam et ipsi superius nomenatus servicium non rededi, nec redebio pro reverentia loci. Id sunt quorum præsentia.

5. *Aliud.* — Item notitia sacramenti... Juratus dixit: Per hunc loco sancto et divina omnia sanctorum patrocina, qui hic requiescunt etc.

6. *Aliud.* — Breve sacramenti... in basilica domne ill. Juratus dixit: Per hunc loco sancto et divina omnia quæ hic aguntur, quæ licet Deo plenius offeruntur, unde mihi homo, nomen ill. interpellabat, eo quod caballo suo furassit etc.

7. *Solsadia.* — Notitia solsadii qualiter vel quibus præsentibus ill. homo placetum suum adtendit Andecavis civetate Kalendas ill. per judicio industri ill. comite, vel auditores suis ac contra homines his nominibus ill. et ill. vel genitrici eorum nomen ill. una cum abunculo eorum ill. dum dicerit quæ si aliqua femina nomen ill. genitore eorum nomen ill. pro maleficio eum interfecisset. Qui ipsi jam superius (a) nomenati placetum eorum legebus a mane usque ad vespertum visi fuerunt custodi se. Nam ipsa femina nec ad placetum advenit, nec misso ad persona addirexit, qui soma red-ebuissit. propter ea necesse fuerit prædictis hominibus ut hanc notitiam bonorum hominum manibus roboratas prosequere deberent, qualiter et visi sunt fecisse.

8. *Appennis.* — Quicumque ad latrocinos sceleratibus, seditiosis seu incendiariis in qua provincia vim aut damnum pertulerit, oportet hoc eidem retores civium seu Curiales provincie, 1333 in qua perpetratum fuisse perhibetur, palam ostendere, et publica demuntatione manifestare. Igitur cum pro utilitate Ecclesie et Principale negotio apostolicus vir, illi episcopus, necnon et iluster vir illi comes, in civetate Andecave cum reliquis venerabilibus atque magnificis reipublice viris resedisset, ibique veniens homo, nomen ill. palam suggereret seu casa sua in loco nuncupante illo. homines advenissent, et ossia sua frigissent, vel res suas, aurum, argentum, species, vestimentum, fabricatoras suas, vasa ærea, vel reliquas res quamplures, cum strumenta cartarum vinditionis, cautionis, cessionis, donationis, dotis, composicionalis, contulationis, commutationis, pactis, conventiis, securitatis, vacaturis, judicium et notitias, oblationis vel reliquas res quamplures, quam longum est per singula ministire, ad furtis causis deportassent. Unde per ipsas cartas pluras terras post se dicere venditum, et in crastinum locale accessione una cum bonas extraneas personas vicinis circa manentis in ipso loco manibus eorum roboratas accessisse: et ob hoc cognita relatione ante suprascriptus senioris præsentabant ad relegendum, per quem ipsium seniores cognoverunt, quod ipsa causa taliter acta, vel perpetrata fuisset, dum taliter diligentia inquirere videtur sub lectum fuit ad ipsas bonas strauetas personas vicinis circa manentes, qui bene optime ex hoc comperti aderant, quid exinde cognoscibant, veraciter enarrare deberent, se ipsi homo taliter præbuerunt testimonium: ut inspecta illa epistola quem illi præsentabat, sua denuntiatione veraciter concordabant. Dum sic in omnibus devolgata claruit si suprascriptus pontifex et ipsi curia, vel qui cum eo aderant, denuntiaverunt ipsius illi, ut quicquid per annorum spatia de eo tempore usque nunc recte et legaliter possederat, in antea obsoleve principate negotio, recto tramite, testata lego servit, res suas ipsi aut heredis sui tenere et possidere faciant. Et pro præsentem et futura tempora convenit, ut hanc cartola, qui vocatur appennis, prælatorum seniorum, vel reliquorum civium eorum manibus roboratas acciperet, adfirmare deberet. quod ita et fecit: itaut duo appennis coequalis ex hoc affirmatus accipiat. unum, quem ipsi apud se retineat; et alium quem in foro publico suspenditur. Facto appenni.

9. Incipit epistola quem pater et mater facit in filio. Licet unicuique de rebus suis, quas in præsen seculo habere videtur, tam ad sancta loca seu parentum meliorare, et lex manet, et consuetudo longinqua percurrit facere quod voluerit. Idcirco ego in Dei nomen illi, et cogive mea illa dulcissima, et a nobiscum integra amore diligendo filio illo. Dum in

(a) Ibid., lib. VII, cap. 23.

omnibus et per omnia, et super totum nobis fideliter A
servire videris multas penurias et injurias per diversa loca pro nostra necessitate suscepisti; et in utilitate Dominorum partibus Britanici seu Wasconici hostiliter ordine ad specie mea fuisti: proinde convenit nobis ut aliquod de facultatis **1334** nostræ te emeliorare debererit. quod ita et fecerunt. Ergo transcrivimus tibi etc.

10. Notitia [de Matrimonio servorum] Notitia qualiter ill. et ill. Non habitur incognitum qualiter servus nomen ill. ancilla ad ill. nomen ill. extra voluntatem ad conjugium se conjunxerunt, sed modo nos una pacis concordia convenit, ut de agnatione, qui de ipsis procreati fuerint, ill. ad ancilla sua duas partes recipiat, ego et ill. ad servo suo ill. tertia, et quod ipsi aliquid stante conjugio conveniunt ill. servo suo de ipso peculiare duas partes recipiat: similiter et illa ad ancilla sua illa tertia. Proinde ut in postmodum nulla altercatio inter nos non debeat esse, ut manus nostra exinde per duas epistolas uno tenore conscriptas facere deberimus, quod ita et fecimus, et pro rei totius firmitate modo afirmavimus, ut nec nos ipsi nec ullus de heredibus vel de propinquis nostris, aut militans stranea persona, qui contra istas epistolas venire voluerit, ad dupla pecunia teneatur obnoxius, et illa petitio non obteniat effectum, et has conventias inconcusso et inconvulso teneat firmitate.

DE LEGIBUS FRANCORUM.

(Ex Capit. Baluz.)

Theodoricus rex Francorum, cum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis cruditi erant. Ipso autem dictante jussit conscribere legem Francorum et Alamannorum et Bajuvariorum, unicuique genti, quæ in ejus potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit quæ addenda erant, et improvisa et incomposita reseravit; et quæ erant secundum consuetudinem paganorum, mutavit secundum legem Christianorum. Et quidquid Theodoricus rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hæc Childbertus rex inchoavit, sed Clotarius rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus rex gloriosissimus per viros illustres Claudum, Chaudum, Indomagnum, et Agilulfum renovavit, et omnia vetera legum in melius transtulit, et unicuique genti scripta tradidit, quæ usque hodie perseverant. Hoc decretum est apud regem et principes ejus et apud cunctum populum Christianum, qui infra regnum Merwngorum consistunt.

EPISTOLA SYNODI ARVERNICÆ AD THEODEBERTUM REGEM.

Ut clerici aliter qui regum aliorum dominio subjacent, possessionibus quas in ejus regno jure obtinent non fraudentur.

Domino illustri atque præcellentissimo domno et filio Theodeberto regi, Honoratus, etc., episcopi. Dum in Arverna urbe ad replicanda canonum instituta, vel studio elucidandæ legis ecclesiasticæ, his **1335** D
qui dubitatione regendæ vitæ propriæ forsitan premebantur, cultores vestri, ecclesiarum vestrarum episcopi pariter sederent, plurimorum ad nos suæ desperationis remedium flagitantium turba confluit, sperantes, ut non minus pro regni vestri felicitate quam pro sua consolatione pietatem vestram nostra humilitas exoraret, et per suggestionem nostram justitiæ et pietatis vestræ auribus intimaretur, ut nullum de rebus vel possessionibus propriis alienum pietas vestra permitteret, et dum unius regis quisque potestati ac dominio subjacet, in alierius sorte positam, cujuscumque, ut asselet, impetitione non amitteret facultatem. Quod nos de vestri culminis justitia et pietate fidentes, non credimus denegandum: ut dum plurimorum necessitatibus justa, ut credimus, et Deo placente suggestionem consulimus,

pro-peritatem regno vestro et representationem celestis Domini per indulgiam pietatis gratiam augeatis. Unde reverentissime, ut dignum est, supplicantes quæsumus, ut hoc nostræ petitioni divino intuitu pietas vestra non denegat, ut tam rectores ecclesiarum quam universi clerici, atque etiam sæculares, sub regni vestri conditione manentes, nec non ad domnorum regum patrum vestrorum dominium pertinentes, de quod in sorte vestra est extraneos, de quod habere proprium semper visi sunt, non permittatis existere, ut securus quicumque proprietatem suam possidens, debita tributa dissolvat domino, in cuius sortem possessio sua pervenit. Quod et thesauris vestris omnino utilius esse censemus, si per pietatem vestram salvata possessio consuetudinariam intulerit functionem; et nos peculiaribus vestra clementia consolatur, si obtentu hujusmodi petitionis nos quoque Celsitudo vestra fecerit gratulari.

EXCERPTA EX EPISTOLA AURELIANI EPISCOPI ARELATENSIS AD THEODEBERTUM REGEM.

(Ex Freh. et Chesn.)

Domino inelyto et ubique gloriosissimo atque in Christo piissimo domno et Filio, Theodeberto regi Aurelianus episcopus. Licet tam sera scriptorum officia justissime trepidatio comitetur, tamen nequam reor sermo evasa offensione judicabitur, si apud aures clementiæ sola tantum devotione animi perpendatur. Hinc præcipue quod ambientibus cunctis Celsitudinem vestram, nec metum trahunt ex privilegio culminis, nec repulsam metuant de præjudicio tarditatis. Vestra enim erectio ita sollemnitas est, ut etiam humilium amore tangatur, ac dignitatum cumulum onerata fastigia vernularum adhuc rudium primitivis cultibus præsumantur. Novis namque nunc studiis in obsequia religiosi principis informamus, et cum testimonio perfectæ dilectionis ad præsentiam sacratæ mentis admittimur. Hæc ergo ex parte amoris nostri fiduciam, principes optime, metieris, cum ministeriis tuis nec terribi pro tarditate subtrahimur, nec verecundia pauperis ingenii refradamur. **1336** Suscipe igitur benigne devotionis studio tirocinia famulantium et gremia veniæ largioris expande supplicibus. Quia cum omnes generaliter bono cordis inelyti perfruantur, nos tamen etsi exigua portio obsequii vestri, plenitudinem nobis principalis indulgentiæ ad integrum vindicamus. Etenim cum de te loquimur, adest gratia etsi eloquentia deest, et solo ornatu nostro materia sufficit, quanquam doctrina non adsit. Quæ cum ita sint præclaram indolem laudis vestræ votis potius celebrabo quam litteris. Quoniam semper quæ sunt maxima, conscientiam potius requirunt quam linguam, digniusque committuntur pectoris judicio quam sermonis. Ac perinde non mihi in votis hoc commemorandum est, quod tempora celebrant, sed quod æternitas probat, etc.

EPISTOLA THEODEBERTI REGIS AD JUSTINIANUM IMPERATOREM.

(Ex Freh. et Chesn.)

Domino illustri et præcellentissimo domno et patri Justiniano imperatori Theodebertus rex. Theodorus vir expectabilis cum Solonem veniens pariter litteras, quas imperii vestri clementia destinavit, integra animi charitate et devotione suscepimus, quia cum de nobis curam geritis, sic latius pro diversas gentes atque provincias Dei amatam amicitiam propagamus. Id vero quod dignamini esse solliciti in quibus provinciis habitemus, aut quæ gentes nostræ sint, Deo adjutore, ditiori subjectæ, Dei nostri misericordia feliciter subactis Thuringis, et eorum provinciis acquisitis, extinctis ipsorum tunc temporis regibus, Norsavorum gentis nobis præcata majestas colla subdidit, Deoque propitio Visi-

• Vide sancti Gregorii Historiam Francorum, lib. III, cap. 25, notamque f. col. 261. Ed.